SOLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO LUDOVICIANO

RITE CELEBRANDA

INDICIT

CONRADUS WITTMANNUS,

PHILOSOPHIÆ DOCTOR ET GYMNASII PROFESSOR.

INEST COMMENTATIO DE LOCIS QUIBUSDAM LIVIANIS.

SUEVOFURTI, MDCCCLXII.

WIRCEBURGI, TYPIS F. E. THEIN.

Liv. I. 57, 8.

Citatis equis avolant (regii juvenes) Romam. Quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam . . . . nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt.

Hic offendunt verba „*primis se intendentibus tenebris*“. Quid sibi volunt ista „*se intendentibus*“, quum verbis „*primis tenebris*“ tempus vespertinum, quod diem dirimit a nocte jam satis significetur? Dici quidem posse „*tenebrae se intendunt*“ (intenduntur), nemo non intelliget, qui comparaverit locos hosce:

Liv. VIII. 28: Nox interdiu visa intendi;

Curt. IV. 14: Subito spissae nubes se intendere coelo et, quidquid lucis internitebat, effusa caligine exstinctum est;

Curt. VIII. 46: Adeo spissae intendere se nubes, ut conderent lucem (coelum);

Tacit. hist. III. 56: Concionanti tantum foedarum avium supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent;

Virg. Georg. I. 248: Semper et obtenta densantur nocte tenebrae.

Itaque non opus est recipere quod protulit Valesius, qui pro verbis „*se intendentibus*“ legendum censuit „*incedentibus*“..

Reperies quidem saepissime verba conjuncta, qualia sunt: prima luce, primo mane, a primo mane, prima nocte, primis tenebris, sed nusquam invenies appositum „*se intendente*“, sive „*intendentibus*“. Quid igitur faciendum? Num ejiciamus verba illa quasi aliena manu inserta? Minime vero. Non mutanda, neque ejicienda, sed alio modo illa mihi videntur esse interpretanda. Inest enim in verbo „*intendere*“ etiam significatio elaborandi atque enitendi, ita ut liberiori dicendi genere verbis „*se intendentibus*“ subjicienda sit sententia: quum illi se intenderent. Sensus igitur loci est: Regiis juvenibus, quum omnes nervos contenderent, contigit, ut primis tenebris Romam pervenirent. Rara quidem illa dicendi ratio est, sed non prorsus inusitata.

Sic Cic. Famil. XVI. 26.: Non potes effugere hujus culpae poenam te patrono;

ibid. XVI. 12.: Neque se jam velle absente se rationem haberi suam;

Senec. ep. 24: Acerbum est uri; quanto est acerbius, si id te faciente patiaris?

Cic. Divers. II. 25.: Multa me consule a me ipso scripta recitasti;

Cic. Att. X. 4.: Me libente eripies mihi hunc errorem;

Caes. bell. Gall. VI. 4.: Obsidibus centum imperatis hos Aeduis custodiendos tradit;

Liv. XXXVIII. 54.: M. Porcius Cato vivo quoque Scipione allatrare ejus magnitudinem solebat;

Liv. XLII. 36.: Ita dimissis (sc. iis) P. Licinio consuli mandatum, intra undecimum diem juberet eos Italia excedere;

Liv. XXXI. 7.: Recognosceret socios navales dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis;

Ovid. Amor. II. 12, 13.: Me duce ad hanc voti finem, me milite veni;

Liv. XLII. 38.: Nunc, ubi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Homolio Dium esset, praemissis, qui nuntiarent regi, venturos;

Valer. Max. I. 8.: Non audientibus Romanis proelium ingredi eximiae magnitudinis juvenis primum eos hortari ad capessendam fortitudinem coepit.

Ceterum verbum *„intendere“* similiter adhibetur:

Sall. Jug. 45: Quo ire intenderant, perventum est;

ibid. 74: Quocunque (Jugurtha) intenderat, res adversae erant.

Liv. XXI. 29: Hannibalem incertum, utrum coeptum in Italiam iter intenderet, an cum eo, qui primus se obtulisset Romanus exercitus, manus consereret, avertit a praesenti certamine Boiorum legatorum adventus; cf. X. 43., XXI. 30., XXII. 9., XXVII. 46., XXIX. 30., XXXI. 33.;

Tacit. hist. II. 22.: Caecina trajecto rursus amne Cremonam petere intendit.

Et ne cui verbum *„se intendentibus“* inter voces *„primis“* et *„tenebris“* collocatum sit offensioni, is advertat animum ad similem illi locum Liv. I. 39.: Eorum magis sententiae sum, qui Corniculo captum Servi Tulli, qui princeps in illa civitate fuerat, gravidam *viro occiso* uxorem ab regina Romana prohibitam ferunt servitio partum Romae edidisse Prisci Tarquinii domo.

Liv. II. 13.

Porsina prae se ferre, quemadmodum, si non dedatur (Cloelia) obses, pro rupto foedus se habiturum, sic deditam (si dedita fuerit) inviolatamque ad suos remissurum.

Ante vocem „*inviolatamque*“ excidisse videtur „*intactam*“. Verba: „*intactus inviolatusque*“ etiam conjuncta reperimus II. 12. „Nunc jure belli liberum te intactum inviolatumque hinc dimitto.“ Et illud „*intactum*“ additum fuit in Frobeniana annni 1531.

Liv. II. 22.

Cum Vulscorum gente Latino bello neque pax neque bellum fuerat: nam et Vulsci comparaverant auxilia, quae mitterent Latinis, ni maturatum ab dictatore Romano esset; et maturavit Romanus, ne proelio uno cum Latino Vulscoque contenderet.

Ante verba: „*ni maturatum ab dictatore Romano esset*“ suppleas: et quae auxilia misissent. Sensus enim loci videtur hicce; Vulsci omnia ad bellum jam multo ante praeparaverant; auxilia stabant parata, quae Latinis mitterent, si Romani eos aggrederentur, et quae Latino bello imminente misissent, ni Romani in suum ipsorum agrum impetum fecissent.

Liv. II. 24.

Nec posse, cum hostes prope ad portas essent, bello praevertisse quidquam; nec, si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse, nisi mercede prius accepta arma pro patria non cepisse, neque patribus satis decorum per metum potius, quam postmodo voluntate adflictis civium suorum fortunis consuluisse.

Hunc locum aegrum varia viri docti ratione sanare conati sunt. Madvigius verbum „*posse*“ mutandum esse in „*coss.*“ i. e. consules censuit; Weissenbornius pro verbo „*posse*“ legendum putat „*ipsos*“ (sc. consules). At non verbum „*posse*“ medicina eget, sed „*praevertisse*“ quod mutandum esse videtur in „*praeverti coss*“ (i. e. consules). Sensus enim loci est: Quum hostes prope portas sint, nulla res bello potior est ducenda, nec aliud quidquam consules prius suscipere possunt, quam hostes fuderint et fugaverint.

Liv. II. 28.

Tum vero plebs coetus nocturnos pars Esquiliis, pars in Aventino facere.

Non iidem homines de plebe modo in Esquiliis, modo in Aventino coetus fecisse, sed diversae alia alio loco separatim suis rebus consuluisse videntur; obaerati, et qui eorum caussam agebant, fortasse in Esquiliis, creditores contra et nobilium si qui cum iis stabant, in Aventino habebant concilia.

Liv. II. 31.

Equitatu immisso dictator mediam turbaverat hostium aciem, qua, dum se cornua latius pandunt, parum apte introrsum ordinibus aciem firmaverant; turbatos pedes invasit.

Hic duae offendunt voces; primum repetitio vocis „*aciem*", tum adverbium „*apte*". Recte Gronovius altera voce „*aciem*" deleta correxit: „*quam, dum se cornua latius pandunt, parum apte introrsum ordinibus firmaverat.* Nam optimi codices accusativum „*quam*" praebent. At alteram vocem „*apte*" reliquit intactam, quae ut vitiosa inprimis erat emendanda. Nam *parum apte firmare* eandem quodammodo vim haberet, quam inepte firmare. At si quis omnino non habet satis virium, quibus firmet aciem, qui potest is dici inepte firmare aciem? Itaque non dubito, quin legendum sit, parum aptis introrsum ordinibus, ita ut duae potissimum res hostibus vitio dentur, primum quod cornua latius panderint, tum quod mediam aciem parum aptis introrsum ordinibus firmaverint. Est autem *aptus*, ut Festus ait, is, qui convenienter alicui junctus est. Sic Livius X. 25. Profectus apto exercitu et eo plus fiduciae ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat. — Et voces „*introrsum ordinibus*" egent epitheto quodam, velut apud Livium lib. XXXII. 17. tale quid appositum reperis. Dicit enim: Macedones conferti pluribus introrsus ordinibus acie firmata Romanos expulerunt.

Liv. II. 59.

M. Duilius tribunus plebis inhibito salubriter modo nimiae potestatis: Et libertatis, inquit, nostrae et poenarum ex inimicis satis est.

Vox „*nimiae*" vice praedicati fungi et idem significare videtur, quod „*ne nimia esset, sive fieret*"; ita ut sensus loci sit: Tribunus plebis inhibito salubriter modo potestatis, ne ea nimia esset, Et libertatis, inquit, ... satis est.

Liv. III. 51.

Illi (Valerius Horatius) negabant se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia magistratus ejus, quo anno jam ante abissent.

Post verba „*quo — abissent*" suppleas. „nisi ipsi eum magistratum retinuissent".

Liv. V. 13.

Nec ita multo post jam palantes, veluti forte oblati, populatores Capenatis agri reliquias pugnae absumsere.

Duobus hic locus laborat difficultatibus. Primum voces „*jam palantes*“ longius sunt remotae a vocibus „*reliquias pugnae*“, ad quas pertinent; deinde appositum „*veluti*“ illo quidem contextu insolitum est atque ineptum. Quam ob rem Wexius una litera mutata protulit „veluti forte ablati“, quod interpretatus est: „Marodeurs, die umherschweiften unter dem Scheine, als wären sie zufällig vom Heere getrennt, versprengt“; qua interpretatione sententiam subjicit a Livio prorsus alienam. Et Weissenbornius, qui dativum desiderat a participio „*oblati*“ dependentem, emendare vult „jam palantibus (sive palatis) velut in tuto forte oblati“; quae conjectura vim quidem aliquam et potestatem tribuit particulae illi „*veluti*“, sed addit etiam aliquid, quod ipso verbo „*palantes*“ quodammodo jam continetur. Palantes enim ii milites dicuntur, qui ab hostibus se tutos esse opinantur. Itaque nihil aliud reliquum, quam ut aliam ineamus rationem. Si pro nominativo „*oblati*“ ponimus accusativum „*oblatos*“, omnis difficultas sublata videtur. Vox „*reliquias pugnae*“ appositio est praecedentis vocis „*oblatos*“. Dicit enim Livius: Romani, qui Capenatem agrum depopulati erant (populatores Capenatis agri fuerant), absumsere illos Capenatium et Faliscorum, qui, quum e pugna ad Veios commissa elapsi agmine soluto incederent, ipsis veluti forte oblati erant.

Liv. V. 15.

Sic igitur libris fatalibus, sic disciplina Etrusca traditum esse, ut quando aqua Albana abundasset, tum, si eam Romanus rite emisisset, victoriam de Vejentibus dari.

Particulae „*ut quando*“ non sejungendae sunt, sed cohaerent, velut: si quando, ne quando, num quando aliaeque hujusmodi conjunctiones. Particula enim „*ut*“ tempus significat, idemque valet, quod alias: ubi, simulac, ut primum, ubi primum, velut:

Liv. lib. XXIV. 1: Ut Poenus apparuit etc.;

et vox „*quando*“ est particula indefinita, quae saepe annexa reperitur conjunctionibus, quales sunt: num, si, ne, etc.; velut:

Cic. Lael. 19: Existit hoc loco quaestio, num quando amici novi veteribus sint anteponendi?

Cic. Rosc. Am. 50.: Ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur;

Cic. Rosc. Am. 13.: Ut, si quando auditum sit, prodigii simile numeretur.

Et vocem „quandoque“ simili modo usurpat Liv. XXI. 3.:

Ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet;

Tacit. Annal. IV. 28.: Ut filium quandoque supplicia sequerentur;

Ibid. VI. 20.: Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium.

Itaque „*ut quando*“ germanice reddere licet: „so bald einmal“.

Liv. V. 21.

Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus mixta mulierum ac puerorum ploratu complet.

Haec viri quidam docti ita interpraetati sunt, tamquam verba „*variis terrentium ac paventium vocibus*“ penderent a verbo „*complet*“ et „*mixto mulierum ac puerorum ploratu*“ ablativi absoluti essent. Transtulit enim ea Heusingerus „Ueberall ertönte ein Geschrei von Stimmen der Schreckenden und der Geängstigten, mit dem sich das Geheul der Weiber und Kinder vermischte.“ — At verba „*variis terrentium ac paventium vocibus*“ non pendent a verbo „*complet*“, sed a participio potius „*mixto*“, ita ut verba inter se tali modo cohaereant: Clamor omnia complet mulierum ac puerorum ploratu, qui mixtus erat variis terrentium ac paventium vocibus; Alles hallt wieder vom Geheule der Weiber und Kinder, welches sich mit den wechselnden Stimmen schreckender Drohung und zagender Angst vermischte.

Similiter Liv. XXIX. 17.: Omnia passim mulierum puerorumque ploratibus sonant.

Liv. V. 28.

Camillus meliore multo laude, quam cum triumphantem albi per urbem vexerant equi, insignis justitia fideque hostibus victis cum in urbem redisset, tacite ejus verecundiam non tulit senatus, quin sine mora voti liberaretur.

Comparatur hoc loco gloria, quam Camillus Veis captis pepererat, cum laude illa, quam Faliscorum deditione est assecutus. Veios urbem nomini Romano infestissimam armorum vi expugnaverat, Falerios deditione sponte facta in suam redegit potestatem; Veis captis urbem invectus erat curru equis albis junctis, a Faleriis exercitu dimisso insignis justitia fideque hostibus victis Romam rediit. Triumphus ille, quem de Veientibus victis egit, omnium, qui unquam ante erant deportati, splendidissimus vel deorum hominumque invidiam excitaverat, victoriam ex Faliscis latam, cui nemo invideret, nec deus nec homo quisquam, triumphus non secutus esse videtur. Nulla enim

fit triumphi mentio. Camillus fortasse ipse, quod religione se non exsolvisset, triumphum se agere posse negaverat. Itaque senatus ejus verecundiam non ferens nihil existimavit antiquius, quam ut Camillus sine mora voti liberaretur. Vovisse autem Camillum Apollini decimam praedae Veientanae partem, Livius supra cap. 23. commemoravit. Is vocis „*verecundiae*“ sensus esse videtur, de qua Cicero lib. de rep. V. 4. dicit haecce: „Nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est constituta legibus, quam *verecundia*, quam natura homini dedit quasi quendam vituperationis non injustae timorem. Hanc ille rector rerum publicarum auxit opinionibus perfecitque institutis et disciplinis, ut pudor cives non minus a delictis arceret, quam metus.“

Liv. V. 46.

Accepto inde senatus consulto, ut comitiis curiatis revocatus de exilio jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem, quem vellent. eadem degressus (via) nuntius Veios contendit, missique Ardeam legati ad Camillum Veios eum perduxere, seu (quod magis credere libet non prius profectum ab Ardea, quam comperit legem latam, quod nec injussu populi mutari finibus posset, nec nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere) lex curiata lata est dictatorque absens dictus.

Verba hoc modo inter se cohaerent: Accepto inde senatus consulto, ut revocatus jussu populi Camillus comitiis curiatis extemplo dictator diceretur militesque haberent imperatorem, quem vellent etc.; ita ut voces „*comitiis curiatis*“ non ad participium insequens „*revocatus*“, sed ad voces „*dictator extemplo diceretur*“ sint referendae; non quod comitiorum curiatorum id munus fuisset dictatorem dicere, (dictator enim auctoribus patribus aut a consule, aut a tribuno militum consulari potestate erat dicendus) sed quod comitia curiata dictatori imperium dederunt. Est autem haec concisa quaedam dicendi ratio pro eo, quod plenius enuntiari potuit: ut Camillus dictator extemplo diceretur et comitiis curiatis imperium acciperet. Verba autem „*revocatus de exilio jussu populi Camillus*“ spectant ad illa, quae paullo ante commemorantur „*consensu omnium placuit ab Ardea Camillum acciri.*“

Romani enim, qui re ad Alliam male gesta Veios confugerant, vice ibi fungi coeperunt populi Romani. Neque immerito. Primum enim major exercitus Romani pars ex acie petierat Veios; tum a Roma ipsa imbellis atque inermis multitudo, quam arx Capitoliumque, quo juventus militaris senatusque robur se contulerant, capere non posset, Gallis instantibus per agros dilapsa eodem convenerat. Itaque quum Romani Veis commorantes signa inde movere vellent Gallorum manibus patriam erepturi, neque esset quem milites sequerentur ducem, (Caedicius enim centurio non legitimum habebat imperium, sed ad tempus erat ab exercitu dux electus), iis placuit (comitiis

centuriatis) Camillum de exilio revocari, ut Veis praeesset exercitui Romano. Sed ut patres quoque ejus rei, quam populus Romanus Veis jussisset, auctores fierent, Pontium Cominium impigrum juvenem Romam miserunt, qui mandata exercitus adferret in senatum, qui tum erat in arce capitolioque (Liv. V. 39. et V. 46.). Senatus autem per nuntium illum certior factus superesse Veis magnas populi Romani copias, quae patriam essent recuperaturae, (antea praeter eos, qui Romam refugerant, cladem Alliensem crediderat evasisse neminem;) laetus non modo, quae plebes illa jam jussisset, comprobasse, sed etiam pollicitus esse videtur se ab uno ex tribunis militum postulaturum, ut Camillum, quem milites Veientani habere vellent imperatorem, diceret dictatorem et operam daturum, ut, ubi primum ille dictus esset dictator, imperium acciperet comitiis curiatis. Tribunorum autem militarium qui cladem effugerant urbis a Gallis captae unum alterumve in arce fuisse ex eo conjiciendum est, quod nemo eorum Veios venerat. Livius enim (V. 46. 6) Caedicium centurionem dicit exercitui praefuisse, quod fieri non potuit, si quis adfuisset tribunorum. Tribuno autem militum licitum fuisse dictatorem dicere et dictatorem interdum dictum esse eum, quem populus jussisset ex Liv. lib. IV. 31. et XXVII. 5. satis apparet. Dictator ubi auspicato dictus est, legem curiatam de imperio ipse ferre solebat (Liv. IX. 38.). Quum Camillus abesset, id munus alius magistratus pro eo suscepisse videtur.

Et comitia curiata, quae rem militarem continebant, (V. 52.) imperium nisi auspicato tradere non poterant. Itaque quum Romani discrimina rerum prope perditis rebus servarent solennique juri satisfacerent, fieri non potuit, quin nonnihil temporis intercederet, priusquam Camillus absens dictator dictus et lex curiata lata esset. Quo factum est, ut, quum res nullam pateretur moram, nuntius ille statim Veios remitteretur cum senatus consulto, uti Camillus primo quoque tempore dictator diceretur. Camillum autem sunt qui, ubi primum plebiscitum et senatusconsultum ei perlata essent, statim legatis obsecutum Veios contendisse dicant, alii non prius ab Ardea eum profectum esse tradunt, quam lex curiata lata esset i. e. non ipse modo dictator a tribuno militum dictus, sed etiam comitiis curiatis renuntiatus imperium accepisset. Horum sententiae accessit Livius, quod quemadmodum Camillo moris patrii tenacissimo injussu populi in patriam redire non licuit, ita idem jussu populi de exilio revocatus exercitui nihil prodesse potuit sine imperio. Imperium autem dabant comitia curiata ei, qui auctore senatu dux esset creatus vel dictus. Idem confirmat Livius XX. 14. Livio autem adstipulatur Valerius Maximus, qui lib. IV. 1. de Camillo haec tradit: „Camilli tam moderatus ex magna ignominia (exilio) ad summum imperium transitus fuit, ut, quum praesidium ejus cives capta a Gallis urbe (Roma) Ardeae exulantis petiissent, non prius Veios ad accipiendum exercitum iret, quam de dictatura sua omnia solenni jure acta comperisset. Magnificus Camilli veientanus triumphus, egregia gallica victoria, sed ista cunctatio admirabilior."

Ceterum particula *que* in voce „*missique*" id significat, quod aliqua re efficitur, et germanice reddi potest „und so". Itaque verba illa „*missique Ardeam legati ad Camillum Veios eum perduxere*" verti possunt: und so wurden Gesandte nach Ardea an Camillus geschickt und diese brachten ihn nach Veji. Cf. Liv. XXI. 33. XXXIII. 42.